484

78



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA, *

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-octavâ mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LIV.

M. SIMONE-ANTONIO BRINGAUD,
Doctore Medico, Præside.

An ut suppurato Reni, sic calculoso Ferrum?

I.



REN, extrà capacitatem abdominis ad lumborum projectus apophyses, ut attrahendo sero, sudoris urinarum & lachrymarum materie, dicatus fuit; ita suscipiendis universi corporis excrementis oppor-

* *M. Jacobi Cousinot, anno* 1622.

tunus. Hinc fit ut ſæpè obſtruatur, tàm à ſyſtrophicâ phlegmone quam quivis ſuſcitat humor, quàm à calculo, qui omnibus quidem in locis, & in omnibus humoribus, ſed maximè in renibus & veſicâ, ex viſcidis glutinoſiſque ſuccis concreſcit. Phlegmone, ni reſolvatur, quæ optima eſt ejus curatio, ad ſuppurationem promovenda, iis quæ calorem noſtrum fovent & augent. Pure facto, ren ex nephritico fit ſuppuratus.

I I.

UBI ſubſtantiam ejus lapis obſidet, calculoſus exiſtit: malum non æquè pueris ac ſenibus frequens & grave, viris quàm mulieribus familiare magis, pinguiuſculis quàm gracilibus, guloſis quàm parcis, Septentrionalibus quàm aliis terræ incolis, Pariſienſibus quàm cæteris Gallis, noſtro quàm veteri ſæculo, hominibus quàm belluis. Neque ille tantùm in renis ſubſtantiâ, ſed & in ejus cavitate, aliiſque perigraphis pullulat, aliquando ſubſtantiam inter & membranam, interdùm in glandulâ capiti renis appoſitâ exiguo reni perſimili. Sed quocumque loco, aliàs ſine nephritide eſt, frequenter eam vel antevertit, vel provocat, vel comitatur.

I I I.

SUPPURATÂ phlegmone quæ in cavis eſt renum, pus per ureteres effluit in veſicam trahendi vi non deſtitutam, & ab eâ foràs protruditur cum carunculis, ramentis, & nonnunquam pilis. At pus ſi reſtagnet, nec per eas vias repurgetur;

quid moliendum, ne vicinas partes exedat acrimoniâ, putredine corrumpat, fœtore labefactet, nativumque tandem calorem extinguat? Apertio tentanda est ferro & igne. Pyroticum parti dolenti, quæ in tumorem elata est tutiùs admovetur, quàm educendo empyicorum puri: dein ferrum intrò adigitur, quousque purulentus humor eruperit.

I V.

CALCULUS quoque si exiguus, facilè subit ureteres, & in vesicam descendit, è quâ ni excludatur spontè, aut extrahatur aperto interfemineo vel pube, in ingentem sæpè excrescit molem, non animæ vegetantis, non stellarum, non virtutis mineralis, vel spiritûs lapidifici materiæ insiti, non frigoris, sed unius caloris acris vel mitis maleficio. Si grandior & asperior, qui in rene quàm in vesicâ pejor, angusti ureteris ostium ingrediatur, atrocissimos dolores excitat, inflammationis & gangrænosis prodromos. Aliquando in rene diu delitescit sine dolore, non sine noxâ, quæ hæredibus interdùm transmittitur. Hunc tamen ne lithonthrypticis minuere, nec speraveris cæcis ullis medicamentis frangere, aut foràs excludere.

V,

QUID autem si atroci dolore lancinat? si ulcerat asperitate? si fervidam intemperiem accersit? si penitùs renem obstruit? si calorem nativum opprimit? Frustrà diureticis, aquis mineralibus, balneis, nephritico, judaico, spongiæ, vel alio quovis lapide, hircino aut leporino sanguine

exclusionem aut comminutionem aggredieris. Obturato rene, serum ad cerebri arcem raptum, lethalem apoplexiam ac lethargum, ad pulmonem peripneumoniam & pulmonis hydropem, ad cor palpitationem & syncopen, ad jecur asciten, atque etiam interitum inducet. Satiùs ergo pyroticum admovere exteriori renis regioni, quâ parte tumet vel maximè dolet, dein ferrum ad renis usque substantiam nullo hæmorrhagiæ metu adigere, quò vel spontè calculus exeat, vel inventus cathetere, commodo instrumento extrahatur.

Ergò ut suppurato Reni, sic calculoso Ferrum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Josephus Lallemant.

M. Petrus Poissonnier, Professor & Censor Regius, necnon Militarium Regis Nosocomiorum in Alsatiâ Medicus & Inspector Primarius.

M. Claudius Bourdier de la Mouliere.

M. Petrus Arcelin.

M. Raymundus de la Riviere.

M. Ludovicus-Petrus le Hoc, Scholarum Professor designatus.

M. Antonius le Camus.

M. Petrus Chevalier.

M. Antonius-Nicolaus Guenault.

Proponebat Parisiis Nobilis THEOPHILUS DE BORDEU, Doctor Medicus Monspeliensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1754.
A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ Quillau, Universit. & Fac. Medic. Typographi, 1754.